



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Balvzii Miscellaneorum Liber ... Hoc est,
Collectio Veterum monumentorum, quæ hactenus
latuerant in varijs codicibus ac bibliothecis**

Baluze, Etienne

Parisiis, 1679

Passio sanctarum Seraphiæ & Sabinæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14735

inducto & applicito Ianuario Subdiacono, Zenophilus V. clar. Consularis dixit: *Quis vocaris?*
Respondit...

Cetera defunt.

*PASSIO SANCTARVM
Seraphiæ & Sabinæ.*

Anno Christi
322.

CUm dies itaque metuendus persecutionis innotuisset Christianis, multi etiam per orbem terrarum subirent in nomine Christi martyria, erat virgo sancta Seraphia apud oppidum Vendinensium, civis Antiochena, in domo Sabinæ, quæ fuit uxor Valentini & filia Herodis metallarij cuiusdam, qui sub Vespasiano Augusto ter in urbe Romo candidam confessionem dedit Romanis. Cùm igitur eam memorata sancta Seraphia hortaretur, suadens etiam illi ut Iesu Christi notitiam gereret, credens sancta Sabina in Domino Iesu crescebat in fidem & bonam conversationem. Ad quam tunc misit Virillus Præses ut sanctæ Dei virgines apparerent ad tribunal. Primum quidem illustrissima femina sancta Sabina adhibitis pueris seu puellis restitit illis. Et post paululum dixit ad eam sancta Seraphia. Domina mater, permitte mihi ut eam. Tu tantummodo ora, & fides esto in Dominum Iesum Christum. Credo enim ego, etsi indigna & peccatrix sum, quod dignam me faciet Dominus meus Iesus Christus ancillam suam. Dicit ad eam Sabina. Filia & domina mea virgo Seraphia, aut vivere aut mori tecum habeo, non te dimittam. Et cùm ei satis immineret, iussit sibi parari basternam, & perrexit ad prætorium.

II. Cùmque nuntiatum fuisset Præsidi Sabinam

illustrissimam feminam ante fores prætorij stare habentem etiam secum Christianissimam illam Seraphiam, surrexit Præses, & ingressus est in porticum prætorij, honorans & dicens. Quid tibi ipsa derogas, aut quare temetipsam vilem reddis, aut quare non consideras quæ es aut cujus filia? Coniunxisti enim te Christianis, & oblita es natales tuos & memoriam tanti viri cui fuisti juncta & deorum, quorum iram vereor ne incurras. Revertere magis in domum tuam, & dimitte illam nefandam, quæ maleficiis te expulsa demultavit à deorum cultura. Sabina respondit. Illius sanctæ puellæ maleficiis utinam & tu suadearis sicut & ego ab ea justè suasa sum ut ab immundis recederem idolis & verum & certissimum agnoscerem Deum, qui bonos ad æternam vocat vitam, & malos in pœnam relinquit perpetuam. Præses tunc quidem reveritus illam, recepit se in prætorium. Illa autem cum sancta virgine reversa est in domum suam.

III. Præses verò post tertium diem paravit luforium trans pontem super arcum Albinum, ubi solebat fieri themela; & jussit officio ut adduceretur Seraphia, quia rapuisset ad officium. Sancta autem Sabina secuta est eam pedibus, & venit ad luforium; & cum vidisset se non posse juvare illam, exclamavit dicens Præsidi. Canis rabide Asiaticæ, noli contra salutem tuam sanctam Dei virginem & dominam tuam contristari injuriis. Propè est enim immo adest Dominus noster, qui te & Imperatores tuos torquebit sempiternis tormentis, qui tanta mala excogitaverunt fervientibus Deo vivo. & recepit se in domum suam cum magno fletu.

IV. Præses verò jussit sisti sanctam Seraphiam, dicens illi. Sacrifica diis immortalibus, quibus sacrificant Domini Imperatores. Seraphia respondit. Timeo & colo omnipotentem Deum, qui fecit

cœlum & terram & quæ sunt in eis. Nam deos quos jubes me adorare, non sunt dij, sed sunt dæmones. Et non licet mihi adorare eos, quia Christiana sum. Præses dixit. Accede igitur, & sacrificia Christo tuo. Seraphia respondit. Ego cotidie illi offero sacrificia, adorans illum & deprecans die ac nocte. Præses dixit. Et ubi est templum Christi tui, vel quod sacrificium illi offers? Seraphia respondit. Ut me ipsam mundam exhibeam per castam conversationem, & ut alios adducam ad illam professionem per ipsius misericordiam. Præses dixit. Hoc est templum Dei & sacrificium Christi tui? Seraphia respondit. Majus nihil est quàm verum Deum cognoscere & piè vivere & illi servire. Præses dixit. Ergo tu es ipsa templum Dei tui, ut dicis? Seraphia respondit. Si ipso juvante munda permansero, illius sum templum. Sic enim dicit divina scriptura:

1. Cor. 3.

Vos estis templum Dei vivi, & spiritus sanctus habitat in vobis. Præses dixit. Si ergo violata fueris, defines esse templum Dei tui? Seraphia respondit.

Ibid.

Dicit scriptura divina: *Si quis templum Dei violaverit, disperdet illum Deus.*

V. Præses autem peccatum ignorans jussit duobus juvenibus lascivis Ægyptiis eam tradi, ut ea per integram noctem abuterentur. Quam suscipientes horridi juvenes, perduxerunt eam in locum secretum, ubi erat cubiculum valde obscurissimum. Tunc stans sancta Seraphia in memorato cubiculo orabat dicens: Sancte sancte sancte, te invoco Domine Iesu Christe, qui es verus custos & conservator. Te invoco Domine Iesu Christe, qui es lumen & gaudium sempiternum. Te invoco Domine Iesu Christe, qui sanctos Apostolos tuos in carceris custodia detentos clausis januis visitasti & confortasti. Adesto nunc precor mihi miseræ & peregrinæ ancillæ tuæ Seraphiæ, & libera me à sordida contagione juve-

num istorum. Obscurentur oculi eorum ne videant & non valeant contingere me ancillam tuam confidentem in te, & non contaminent sigillum tuum tua consecratione signatum. Confunde impudentiam eorum, & munda me à coinquinatione carnis, & ad te jube me transire, & adesto Domine Iesu Christe cum ancilla tua Sabina. Corroborata eam in tua magnitudine, ut non inimicus diabolus exultet super eam, quæ multa sustinuit propter nomen sanctum tuum circa me ancillam tuam. Domine Iesu Christe, exaudi me, qui es benedictus & gloriosus & superlaudabilis filius cum patre & spiritu sancto in secula seculorum. Amen.

VI. Et cùm memorati juvenes circa horam primam noctis cœpissent contra propositum virginis Christi accedere, subito sonus magnus factus est & terræ motus horribilis, ita ut per totum oppidum sentiretur. Juvenes autem illi tremefacti, ceciderunt examines in terram, membris omnibus dissolutis. Sancta verò Dei ancilla immaculata videns adesse cæleste auxilium, extensis ad cælum puris manibus pernoctavit deprecans Dominum. Diluculo autem properaverunt missi à profanissimo Præsidente ut vocarent juvenes, & si præcepta implessent maligni, interrogarentur. Ingressi autem invenerunt sanctam Dei virginem orantem, juvenes verò dejectos in terram velut mortuos, penitus non habentes potestatem erigendi se. Sed neque loqui poterant, sed tantummodo oculi eorum erant aperti. Concurfus autem factus est non modicus.

VII. Præsides autem cùm audisset, jussit præparari tribunal & produci sanctam Dei ancillam. Et cùm ducta fuisset, Præsides dixit. Quid est, puella? Fecerunt juvenes illi satis desiderio tuo, an delectaris adhuc? Sancta Seraphia respondit. Tu quidem secundum perversam mentem tuam, quam

pervertit & possedit inimicus diabolus, inridens loqueris. Ego autem juvenes quos dicis, nec sensi, nec fuerunt mecum. Præses dixit. Quid ergo, hac nocte tecum non fuerunt? Seraphia respondit. Mecum fuit cujus sum & ad quem pertineo. Præses dixit. Quis est ille? Seraphia respondit. Custos & conservator meus Dominus Iesus Christus. Præses dixit. Quid tantam multitudinem tricas? Dic mihi quomodo vel quibus maleficiis juvenes enervasti. Seraphia respondit. Nobis Christianis non licet esse maleficos. Nam quos per maleficia vestra interfecistis, noster & omnium Dominus Iesus Christus invocatus vivificat eos. Præses dixit: Si ergo superat Christus tuus omnes maleficas artes, invoca eum propter juvenes illos ut reddatur illis sanitas pristina, & dicant si luserunt tecum per noctem an non. Ego certissimè scio quia ideo quibusdam illos maleficiis dementes fecisti ne te de turpitudine tua detegerent. Seraphia respondit. Deus, cujus ego ancilla sum, omnipotens est, & apud eum nihil impossibile est. Præses dixit. Igitur si apud illum Deum tuum nihil impossibile est, fac ut juvenes illi ad se redeant & loquantur. Seraphia respondit. Ut tu suspicaris, maleficia ego ignoro; sed oratio est mihi ad Deum meum, per quam præstat non mihi tantummodo sed omnibus invocantibus eum ex toto corde. Præses dixit. Quomodo vis fac, tantum ut loquantur juvenes, & tunc videbimus integritatem tuam. Seraphia respondit. Iam tibi dixi quia maleficia facere nescio, sed adorare & exorare Deum ut annuat. Præses dixit. Perge igitur ad locum ubi sunt juvenes, & precare super eos Deum tuum. Seraphia respondit. Ut non alij fraudentur miraculo, aut malè sentiant sicut & tu, quid opus est ut ego illuc vadam? Iube eos huc perducere in conspectu omnium. Et jussit Præses perducere juvenes.

quosportantes manibus perduxerunt ad tribunal. Et erant quasi nunquam habuissent linguam nec pedes ad ambulandum neque manus ad palpandum. Omnibus enim membris erant omnino resoluti.

VII. Igitur omnibus mirantibus, Præses dixit. Seraphia, precare nunc Christum tuum super istorum sanitatem. Sancta autem Seraphia extendens ad cælum manus dixit. Domine Deus omnipotens, qui fecisti cælum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt, qui per sanctos Apostolos tuos mortuos resuscitasti, leprosos mundasti, dæmones fugasti, mutis linguam donasti, surdis auditum præstitisti, nunc precor exaudi me ancillam tuam confidentem in te, & ne dissimules propter hunc infelicem & incredulum, sed releva juvenes istos in conspectu omnium expectantium te per meam orationem ad confusionem istius stulti, qui insanit adversum credentes. Accelera Domine, ut cognoscant quia tu es Deus solus, qui facis mirabilia, & non est alius præter te. Et accedens tetigit juvenes illos dicens. In nomine Domini nostri Iesu Christi erigite vos in statu vestro. Qui mox audierunt, & steterunt in pedibus suis, & cæperunt loqui.

VIII. Et cum hæc vidisset populus & miraretur, Præses dixit. Videtis quia non adimplebat artem maleficij sui nisi eos manibus perpalsasset. Et ait Præses juvenibus. Quid faciendo hæc mulier dementes vos fecit? Et resoluti juvenes dixerunt. Domine Præses, nos secundum præceptum sublimitatis tuæ mox ut ad illam accessissemus, ingressus est quidam juvenis decora miræque magnitudinis, & totus splendebat sicut sol, & stetit inter nos & puellam hanc, & præclaritate illius tremor & caligo & defectio nos comprehendit, & exinde non habuimus sensum usque modò. Cognosce hoc Domine Præses, quia hæc puella malefica est, aut verè Deus ejus magnus est.

Præses ad puellam dixit. Dic mihi, Seraphia, genus maleficiorum, quibus artibus hæc facis, & mox te dimittam. Seraphia respondit. Ego maleficia odi. Sed omnes qui Christiani sunt, Christum nominantes maleficia ad nihilum redigunt, & non valebunt nocere eis. Præses dixit. Ecce jam nunc videamus si valebit ars tua. Et si non sacrificaveris, caput tuum faciam incidi. Seraphia respondit. Fac quod vis, non sacrifico dæmoniis; nec facio voluntatem patris tui Satanæ, quia Christiana sum.

IX. Et iussit ei Præses apponi duas lampades ardentes. Et cum applicatæ fuissent lampadæ, mox extinctæ sunt. Et qui lampades tenebant, ceciderunt retrorsum. Sancta autem Seraphia elevans oculos suos ad cælum dicebat. Domine Iesu Christe, erubescant & conturbentur nimis omnes inimici mei, avertantur retrorsum & confundantur valde velociter. Præses dixit. Sacrifica diis, ut non moriaris. Seraphia respondit. Ideo non sacrifico dæmoniis vestris ne moriar morte vera. Præses dixit. Biothanata & malefica, audi imperiale præceptum, & sacrificata diis immortalibus, & libera te de cruciatibus & morte. Seraphia respondit. Biothanati & malefici vos estis, qui negatis Deum vivum & verum, & dæmonia adoratis, cum ipsis pariter morituri. Deo autem immortalis ego me ipsam offero sacrificium, si me dignatur suscipere, licet peccatricem, tamen Christiana sum. Præses autem iussit eam fustibus cædi. Et cum cæderetur, subito terræ motus factus est magnus, & quasi astula de fustibus unde cædebat Dei virgo attigit dextrum oculum Præsidis, & post triduum amisit.

X. Tunc repletus furore Præses dedit sanctæ Dei puellæ capitalem sententiam dicens. Quoniam Seraphiam non solum imperialia præcepta contemnentes, verum etiam tantis deprehensam maleficiis, gladio

gladio iussi percuti. Et incisum est caput sanctæ virginis Christi Seraphiæ trans arcum Faustini juxta aream Vindiciani ducis ducum. Passa est autem sancta Seraphia III. Nonas Septembris. Illustrissima autem femina Sabina colligens reliquias sanctæ & intactæ virginis Christi Seraphiæ, ex more celebratis venerabilibus exequiis, ut thesaurum sempiternum vel margaritam pretiosam reposuit in monumento suo quod ipsa sibi cum summo studio & ornatu fecerat. Et non cessabat ex eo die facere eleemosynas multas, confidens in nomine Christi Iesu, & permanens in fide quam ei tradiderat sancta virgo Seraphia. Studebat autem cotidie visitare infirmos & in carceribus inclusos, præstans eis omnia quæ necessaria erant abundè.

XI. Veniente igitur Præfecto Helpidio rabidissimo, Præses indicavit ei religiosissimam feminam Sabinam & omnia quæ gesta fuerant. Quam cum exhibuissent, introduxerunt in prætorium. Et videns eam Præfectus interrogavit dicens. Tu es Sabina uxor Valentini illustrissimæ memoriæ & filia Herodis? Sabina respondit. Ego sum. Præfectus dixit. Quare oblita es tui, & sociasti te Christianis, quorum mors est, & non adoras Deos, & non honoras quos adorant Domini & Augusti nostri? Sabina respondit. Ego gratias ago Iesu Christo Domino, qui me peccatricem per sanctam famulam suam Seraphiam de multis sordibus & potestate dæmonum liberare dignatus est ut non ampliùs errarem, sicut vos video errare, adorando dæmones. Præfectus dixit. Ut tu dicis, non solùm nos, sed & Domini & Augusti nostri dæmones adorant, & non Deum? Sabina respondit. Utinam Deum adoraretis, qui fecit omnia, cujus nutu cuncta reguntur atque gubernantur visibilia & invisibilia, & non stulta aut insensata simulacra dæmonum adoraretis, quia cum

ipsis pariter in gehenna ignis arsurus estis vos & Imperatores vestri. Præfectus dixit. Per deos omnes iuro quòd si non sacrificaveris, non elongabo à te capitalem subire sententiam, sed mox te faciam gladio vita privari. Sabina respondit. Non sacrifico, diabole insane, dæmoniis tuis, quia Christiana sum, & Christum habeo Deum, & ipsius sum ancilla & cultrix, & illi soli me oportet sacrificare. Tunc diaboli minister Præfectus protulit in eam sententiam dicens. Sabinam diis inobedientem, Dominos quoque & Augustos nostros blasphemantem, gladio percuti decrevimus, atque omnes facultates ejus publicis titulis præsignari.

XII. Amputato igitur capite sanctæ & venerabilis Christi martyris Sabinæ, Christiani cum gaudio magno corpus ejus sustulerunt & posuerunt in monumento ipsius in oppido Vindennensi ad arcum Faustini, ubi ipsa venerabiliter reposuerat magistratam fidei suæ virginem Christi Seraphiam. Passa est autem Sabina 1 v. Kalendas Septembris, & coronata est unà cum fortissima virgine Christi Seraphia, quæ omnibus in se credentibus virtutem dat & præmia sempiterna.

